

*Hommage respectueux
de l'auteur*

TP483^{P12}

DE SYMBOLICA PHAETHONTIS
FABULAE INTERPRETATIONE
APUD ROMANOS

SCRIPSIT

G. A. S. SNYDER

(Ex Mnemosynes Bibliothecae Philologicae Batavae volumine LV
seorsum expressa.)



LUGDUNI BATAVORUM
E. J. BRILL — 1927

Bibliothèque Maison de l'Orient



071876

DE SYMBOLICA PHAETHONTIS FABULAE INTERPRETATIONE APUD ROMANOS.

SCRIPSIT

G. A. S. SNYDER.



Quicumque artis historiae studiosus est, non amplius eadem fruitur libertate, qua Cicero quondam utebatur, cum latino sermoni graecorum notiones philosophicas accommodabat, atque ideo raro tantum investigationum suarum summam latinis litteris commendare solet. Notionibus suis usitatissimis frustra plerumque paria quaerit verba latina. Nec mirum! Vix enim formarum inquisitione ad stilum pertinente antiquis opus erat, qua quidem imprimis nitimur recentiores, cum deficiente traditione antiquae artis historiam redintegrare conamur. Et quibus interdum illaqueemur difficultatibus, qui notionibus nostris vestem latinam induere velimus, iam ambo, Magister aestimatissime, experti sumus, quippe qui viribus iunctis nuperime talequid adorti simus. Nec semper nos quem volumus sensum collegis ita ut facile enucleari possit explicasse puto.

Ne diem Tuum sollemnem aenigmate Tibi proponendo perturbem, ex ea, quae meum praesertim studendi genus attingit materia, thema quoddam elegi, quod ad artis operum stilum formamque non pertinens, argumentum eorum imprimis spectat. Pro aenigmate Tibi responso, quaestione ut puto soluta, gratulari velim.

Romanorum imagines sarcophagorum non ortas esse e cura vel etiam doctrina quadam obsoletarum fabularum rediviva, nec mere deberi desiderio cuidam oculis placendi iam vulgo sumitur. Duos praesertim eas explicandi modos adhuc invenimus. Alter, nimis simplex, sarcophagi imaginem et hominis



sepulti vitam vinculo quodam externo coniunctas esse contendebat. Sic philosophus a Musis circumdatus, in sarcophago expressus, virum mortuum philosophum vel poetam fuisse confirmare videbatur ¹⁾; sic nobis venatio commendabat, ut hominem ibi conditum venandi fuisse studiosissimum putaremus ²⁾. Hanc interpretandi rationem aptam interdum esse nequaquam negare velim. Sunt sarcophagi quidam sumptuosi, proeliorum imaginibus adornati, quibus accommodata esse videtur. Vulgo autem haec interpretandi ratio reicienda est, non solum propterea quod aequaliter constanterque eam persequentes ad absurdum perducimur, sed etiam quia harum rerum rara quidem atque fortuita in litteris traditis mentio alteram nobis explicandi viam aperit. Romanos enim aetate imperatoria heroum fabulas symbolice accepisse iam satis notum est ³⁾. Varias Imperii Romani religiones earumque doctrinas paulatim cognoscimus et quantopere Romani opinionibus de morte deque vita post mortem beata regantur in omnibus quas agant sentiantque rebus, in diem magis apparet. Quibus rebus nobiscum perpensis, ut inter sarcophagorum imagines quoque et cogitata huius temporis religiosa commune quid suspicemur perducimur. Et re vera altera illa interpretandi ratio, quam rectam esse puto, non sine fructu identidem adhibita esse videtur. Iam constat sarcophagorum imagines, Herculem ferarum domitorem exhibentes, symbolice accipiendas esse ⁴⁾: hominem sordidiorum cupiditatum victorem in mentem vocant, idemque fere Meleagri venantis imaginem spectare nuperrime monstrare conatus sum ⁵⁾. Plures autem quam adhuc explicatae sunt imagines obscurae remanent, nec quae proponunt aenigmata solutu facilia sunt.

De sarcophagis tantum Phaethontis fabulam exprimentibus nonnulla in medium proferre hodie mihi liceat ⁶⁾. Imagines

1) Symbolice hanc repraesentationem interpretatus est Dütschke, *Ravennat. Studien*, p. 146 sq.; cf. Robert, *Archäol. Hermeneutik*, p. 70.

2) Helbig-Amelung, *Führer*, I. 895.

3) cf. Mau, *Religionsphilosophie des Kaisers Julianus*, p. 161 et p. 104 (169 D—170 C).

4) cf. Strong, *Apotheosis and Afterlife*, p. 201 sq.; Eisler, *Orphisch—Dionys. Mysteriengedanken*, p. 82. 1.

5) In libro c. t. *Raccolta...* Fel: Ramorino, p. 257 sq.

6) cf. Robert, *Die antiken Sarkophagreliefs*, III. 8. 332 e. q. s.

istas nequaquam ad vitam hominis mortui, sarcophagum occupantis, spectare posse luce clarius est. Quod petit Phaethon, ut solis scilicet curru per aëra vehi sibi liceat, ipsumque iter et exitus fatalis nemini profecto contigit umquam, frustra que similia quaerentes cuiusvis hominis vitam scrutabimur, nisi forte Daedali Icarique experimentum vel Alexandri Magni per aëra iter afferre velimus. Haec autem ipsa memoria populari exornata ad fabellas potius releganda sunt. ¹⁾

Cum symbolicam Phaethontis imaginum explicationem aggredimur unum praesertim ante oculos habeamus necesse est. Poeticis liberata ornamentis haec restat fabulae medulla: Phaethon, Solis filius, patre victo precibus, curru eius solari in caelum ascendit, votique sui compos mortem obit. Symbolice si ea accipimus, spem hominis mortui, se vita defunctum in caelum ascensurum, expressam esse puto. Cogitatum illud nec non huius rei imago satis nobis nota sunt. Apud Graecos antiquitus ea invenimus, maxime autem in Oriente viguerunt. Cultus imprimis orientales ad Romanos ea perduxerunt et quantopere per totum terrarum orbem passim effusa sint, sepulcralia monumenta nos docent. Longum est repetere quibus et quam variis modis animam in caelum ascensuram esse antiqui crediderint ²⁾. Iam satis est statuere currum solarem inter ea, quae ascensioni putabantur idonea, vehicula aptissimum atque usitatissimum habitum esse. Identidem eum in simplicibus humiliorum cippis expressum invenimus.

Quare autem ii, qui de ascensionis symbolis disseruerunt, Phaethontis fabulae imagines ad ea, quoad sciam, non rettulerunt? Propterea quod nimis mythologice et ad verbum, ut opinor, fabulam nobis traditam secuti sunt. Phaethontis fato

1) De fabula Alexandri Magni itineris caelestis, quae elementa religiosa orientalia fortasse complectitur, cf. imprimis Herzberg, Thron des Khosro (Jahrb. Preuss. Kunstsaml. 1920. 41, p. 118 sq.; Millet, Syria, 1923. 4, p. 85 sq.; Loomis, Burlington Magaz. 1918. 32, p. 136 et 177 sq.

2) cf. Strong, Apotheosis and Afterlife, p. 125 sq.; Dieterich, Eine Mithrasliturgie, p. 181 sq. et p. 197 sq.; Cumont, Afterlife in Roman Paganism, p. 153 sq.; eiusdem, Etudes Syriennes, p. 91; Diels, Himmels- und Höllenfahrten, N. Jahrb. f. d. kl. Altert. 1922. 49, p. 239 sq.; C. Hönn, Stud. z. Gesch. der Himmelfahrt, Progr. Mannheim 1910 (hunc librum inspicere non potui; bibliothecis nostris deest); R. Holland, Arch. f. Religionswissenschaft., 1925. 23, p. 207 sq.

acerbo imprimis commovemur; Phaethontis preces nobis superbia iterque eius nefas esse videntur, quae vindicans divina iustitia fatali eius ruina crudeliter sed haud immerito castigat. Inter ὑβρίσαντας praesertim Phaethonta hucusque habuimus. Quod quidem nobis, sarcophagorum imagines denuo inspicientibus, vix satisfacere potest. Theologus quis hanc explicationem fortasse accipiet, humana autem qui spectat, profecto eam repudiabit. Ad sepulcrum enim adsistentes, quae forsitan metuenda nobis sint non eloquimur.

Quod speramus de vita post mortem beata nobis potius exprimendum videtur, nec nefas eiusque poena, in sarcophagis efficta, spem eam satis apte reddere videntur. Faciamus tamen explicationem istam rectam esse. Ne Phaethontis fabulae in sarcophagis expressae significatio spectatorem omnino lateat, eum ipsum inter peccatores famosos habeamus necesse est. At ea res litteris traditis minime nobis commendatur; immo vero complura nobis contrarii indicia praesto sunt. In henotheismo solari, quo aetate imperatoria posteriore variae paganarum religionum species convergunt, Phaethon graves partes egit. Lactantius ¹⁾ nos docet Phaethontem eundem atque Phaneta et Orphea habitum esse. Αἰθέρος υἱόν eum vocari illis temporibus, quibus versus velut

εἰς Ζεῦς, εἰς Ἄϊδης, εἰς Ἥλιος, εἰς Διόνυσος

εἰς Θεὸς ἐν πάντεσσι. τί σοι δίχλα ταῦτ' ἀγορεύω;

et alii eiusmodi circumferebantur, non mirum videtur ²⁾. Nec magis miramur Phaethonta vinculo quodam cum Mithra coniungi. Mithras enim Solem magis magisque absorbit, fabulaeque de deo illo antiquo in novum deum potentiolemque transierunt ³⁾. Quam graves autem quas egit Phaethon in sacris Mithriacis partes fuerint, nunc demum nobis ectypo quodam, nuperrime in Mithrae fano in pago Dieburg reperto, apparuit.

Est tabula lapidis arenacei quadrata, circum axem directum se convertens, ab utraque parte ectypis exornata. Latus adversum imagines e Mithrae vita terrestri sumptas exhibet, aversum

1) Divin. Inst. I. 5, 4—6; Kern, Orphicorum fragm. 73 (p. 151).

2) Kern, I. I. 239 (p. 251); cf. 236 (p. 249).

3) cf. Cumont, Textes et Mon. figurés, relatifs aux Mystères de Mithra, I, p. 177; II, p. 63.

autem Phaethonta nobis monstrat, cum matre adiuvante a Sole patre currum solarem petit. Ipsius ectypi specie, nec non inscriptione, qua illud D(eo) S(oli) I(nvicto) M(itthrae) dedicatur, imaginem sacram nos invenisse discimus, itemque apparet tabulam illam religiosis procedentibus caerimoniis suo tempore circum axem convertendam fuisse, quo, pro laboribus Mithrae periculisque, Phaethontis preces ante oculos cultorum ponerentur ¹⁾. Phaethonta igitur in Mithrae cultu doctrinaque multum valuisse constat, nec amplius filii desiderium per aëra vehendi curru paterno, ubi obviam nobis fit inter sarcophagorum imagines, ex obstinata tantum atque puerili vanitate ortum accipere licet. Immo vero, in novum deum transiens profundiore atque eum religiosum sensum acquisivit fabula: hic quoque eam „vestem sublimis veritatis mirabilem” esse invenimus.

Quem autem sensum religiosum fidelibus suis, hanc imaginem inspicientibus, Mithrae sacerdotes traditum voluerunt? Si omnino quod respondeamus habemus, egregiis imprimis v. d. Cumontii investigationibus id debemus, qui monumenta nec non ea rara ac fortuita, quae huc spectantia librorum textu nobis servata sunt, sagaci studio collegit, iisque confisus theologiam Mithriacam, dudum obscuratam, denuo extruxit. ²⁾

Quid igitur nos docet de vita post mortem beata doctrina Mithriaca? Simplicioribus suis discipulis tam animae immortalitatem quam resurrectionem carnis Mithras pollicitus esse videtur. Doctrina autem philosophica, humiliorum respectu non adulterata, animae tantum immortalitatem profitebatur. Anima, simulatque perfunctus est vita homo initiatus, corpus eius, carnis illum carcerem, relinquit et per planetarum sphaeras in caelum ascendit, dum cadaver exanime extinctioni fit obnoxium. Immortalitate digna habita, praesertim si mysteriis Mithriacis imbuta ³⁾ sacris iis utitur carminibus, quibus oboedientes sphaerarum custodes transitum concedunt, anima, omnibus denique reliquiis terrestribus liberata supremum caelum

1) De ectypo Dieburgensi fusius tractavit v. d. Behn (Gnomon, 1926. 2, p. 686 sq.), qui similitudinem quoque, *figurarum dispositionis* inter ectypum illud atque sarcophagos Phaethontis fabulam exhibentes, iam perspexit.

2) Textes et Monuments, I, p. 309 sq.

3) *ibid.*, I, p. 309, 8.

attingit, ubi iuxta deum in luce sempiterna summam cognoscit beatitudinem. Cuiusvis igitur hominis initiati anima per eandem progreditur viam atque Mithras, cum, perfectis in terra mandatis, solari curru in caelum ascendit¹⁾. Quid miremur currum eum solarem ut ascensionis symbolum in monumentis sepulcralibus saepissime expressum inveniri?²⁾ Theologorum placita, effectu difficilia, per symbola tantum exprimi possunt.

Huius rei respectu imaginem quoque in ectypo Dieburgensi expressam symbolice accipiendam esse puto. Ascensionis spem vitaeque post mortem beatae fidelibus ob oculos obducit. Sicut patrem suum caelestem adit Phaethon eumque obsecrat per paternum amorem, ut currum sibi solarem concedat, itidem Mithrae fideles omnes, Dei liberi et ipsi, patrem suum divinum adeunt, currusque solaris fidem ab eo petunt. Quae ut exprimantur consuetam Phaethontis precantis imaginem, arte iam dudum formatam, eligunt, imaginem maxime idoneam, quippe quae figuris penitus reddat, quod sperant atque credunt: se, Dei liberos patris, ultimum in caelum domumque paternam iter tutos facturos esse³⁾. Quod autem vivi petunt post mortem demum adipisci possunt. Ascensio in caelum animae tantum terrestribus vinculis liberatae contingit. Ipsam igitur ascensionis imaginem in monumentis sepulcralibus solam expressam invenimus.

Huius rei symbola multa atque varia enumerare longum est. Hercules interdum nobis occurrit, qui laboribus perfunctus solari curru in caelum ascendit, sicut in monumento Igeliano⁴⁾. Corporis re vera ascensionem ante oculos habemus, licet herois species adhibeatur. Philosophi vero ab hac immortalitate nimis corporea abhorrebant. In mentem nobis venit Peregrini Proteos, qui alter Hercules, in rogi flammam se iniciens, animam corporis vinculis liberavit atque in aethera se effudit⁵⁾. Id

1) *ibid.* I, p. 306; cf. p. 176 sq.

2) cf. Cumont, *Afterlife in Rom. Paganism*, p. 156 sq.; Strong, *Apotheosis and Afterlife*, p. 65 sq. et p. 226 sq.

3) cf. Cumont, *Textes et Mon.* I, p. 310. 3.

4) cf. Dragendorff et Krüger, *Das Grabmal von Igel*, p. 71 sq.; Strong, *Apotheosis*, p. 226.

5) Lucian. *de Morte Peregr.* 40; Holland, *Arch. f. Religionsw.* 1925. 23, p. 209 sq.

quidem ipse voluit. Adstantium unus sane se animam volueris specie avolantem vidisse profitebatur, sed saepius antiqui hac imagine usi sunt, qua cogitationi adminiculum quoddam corporeum praeberent ¹⁾. Peregrinum Protea idem sibi voluisse atque Hilarium, Christianum quendam, qui tituli sepulchralis versibus hanc inclusit sententiam:

contemnens fragilem ter[ren]i corporis usum

hic carnis spoliū liquit a[d] astra volans ²⁾,

Lucianus nos docet. Ac mire, ut vidimus, Mithriacae de rebus extremis doctrinae haec sententia convenit, quae mea opinione aptissime exprimitur imaginibus in sarcophagis frequentibus, quae fabulam Phaethontis exprimunt. Primarium ibi locum Phaethontis in caelum ascensio eiusque ruina semper obtinent, praeter preces eius superstitionumque de mortuo questus. Etsi, ut supra dixi, Phaethontis exitu imprimis commovemur, in eo quo nunc versamur contextu attentione nostra dignius esse videtur, *quo modo* perierit. Solis enim aestu adustus, Summi Dei fulgure absumptus, exanimis in terram praecipitatur. Hi autem eventus doctrinae de rebus extremis Mithriacae prorsus conveniunt. Nam quomodo „carnis spoliū” hic linquendum esse melius significari possit, quam imagine Phaethontis, crudeliter e curru excussi? Profecto, ipsam animam non effictam videmus, sed quomodo fieri id potuit? Anima enim lustrationibus reiteratis ac praesertim igne caelesti ab omnibus humanis terrestribusque residuis liberatur, atque mortalium oculorum aciem fugiens Patris caelestis domum pergit. Haec opinio astrologorum imprimis placitis confirmatur, et unum saltem monumentum nobis servatum est, ubi anima, pro specie humana, astrali veste symbolica induta est. Basin quandam dico, Pergami repertam, nunc Berolini in Museo antiquo asservatam ³⁾; in ectypo, quo exornatur, currus solaris apparet; auriga autem caret. Pro eo fulgentem stellam supra currum suspensam tuemur. Quod quidem per se vix sufficeret, quo nostram Phaethontis fabulae interpretationem symbolicam probarem, nisi

1) Artemid., Onirocr. II, 68.

2) Bücheler, Carm. lat. epigr. 688, 4—5.

3) cf. Altertümer von Pergamon, VII. 2, p. 338 sq., fig. 420.

alia quoque fragmenta, litteris tradita et huc spectantia, insuper demonstrarent paganos de sorte animae sic fere cogitavisse. Arnobius ¹⁾, contumaciam suam „adversus gentes” haud insuetam exhibens, de „sciolis nonnullis” loquitur, profitentibus „deo esse se prognatos nec fati obnoxios legibus, si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius patere, ac *post hominis functionem* prohibente nullo tam quam in sedem referri patritam”. Haec verba ad Mithrae discipulos pertinere v. d. Cumont valde comprobavit ²⁾, eiusque opinio oraculo quodam, Juliano Imperatori dato, confirmari mihi videtur. Oraculum illud, propterea quod eadem ibi exprimuntur cogitata, ita ut quasi titulus Phaethontis imaginibus subscribi possit, hoc loco repetere velim ³⁾:

Δὴ τότε σὲ πρὸς Ὀλυμπον ἄγει πυριλαμπές ὄχημα
ἀμφὶ θυελλείῃσι κυκώμενον ἐν στροφάλιγξι
λυτάμενον βροτέων ρετέων πολύτλητον ἀνὴν
ἤξεις δ' αἰθερίου Φάεος πατρώον αὐλήν
ἐνθεν ἀποπλαγχθεῖς μεροπήιον ἐς δέμας ἤλθες.

Iam antea v. d. Cumont observavit ⁴⁾ Julianum se ipsum Solis filium spiritualem duxisse, nec opus est repetere Solis atque Mithrae cultum aetate imperatoria eundem fuisse. Oraculum igitur, Juliano datum, primarium Mithriacae doctrinae documentum habeamus oportet. Quod si Phaethontis imaginum religiosa intentione intellecta non contenti, id quoque investigandum nobis proponimus, cuius praesertim doctrinae assectatores in sarcophagis illis sepulti sint, est profecto, cur Mithrae fideles eruditiores opulentioresque ibi requievisse accipiamus. Phaethontis enim preces, in ectypo Dieburgensi expressae, ab ascensione eius, quam in sarcophagis effictam invenimus, non separandae sunt. Quod vivus petivit, id mortuo obtingit. Phaethontis ruinam poenam putare, quam temerarius juvenis pro superbiae peccatis solvat, certo nobis non licet. Immo vero ruina illa nos admonet corpus nostrum in terra linquendum esse, Phaethontis autem per iter caeleste periclitationes, cum

1) adv. gentes, II. 62.

2) Textes et Monum., I, p. 15 sq. et p. 310.

3) Eunapius, Hist. fragm. 26.

4) Textes et Mon. I, p. 345. 7; eiusdem, Etudes syriennes, p. 104.

Sole aduritur ac igne caelesti afflatur ¹⁾ iter illud extremum animae et lustrationem ab omnibus additamentis terrestribus in mentem vocat. Ita hominis moribundi spes fidesque in sepulcro eius expressa sunt superstitibus solacium nec non norma bene vivendi.

Unum monumentum novum inventum subito nobis multa alia dudum obscura illustrare potest. Unum illud ectypum Dieburgense non solum nos docuit Phaethontis fabulae in sarcophagis expressae sensum subesse profundiore atque eum religiosum, sed fontem quoque monstravit, unde pietas illa, saepe in dubitationem vocata, derivaverit. Multae et aliae sunt sarcophagorum imagines, quarum profundior sensus adhuc nos fugit. In haec problemata enucleanda si incubuerimus, inveteratis tollendis erroribus disciplinae nostrae proderimus.

Tibi quidem, Migister aestimatissime, aequae ac mihi horum monumentorum studium cordi fore spero, propterea quod veram indolis Romanae imaginem, non adulteratam auctoritate tam Christianorum auctorum quam profanorum, redintegrare nos iuvat, quippe unde discamus, quam propinquus nobis sentiendo atque de iis, quae penitus hominem commovent, rebus cogitando fuerit iste populus, cuius Tu quidem litteris per tot iam annos studium Tuum impendisti, cuius autem artis monumentis operam meam dare in animo habeo. Quam praesertim ob causam sollemni hoc die, solvendo quod tetricum videtur aenigmate, gratulari Tibi ausus sum.

1) cf. Ovid. Metam. I 227 sqq. et 311 sqq.



